

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Castitas et continencia e
cum fontibus proximo et primo

Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata
circa ministerium sanctorum sed melius quod Maria

audiens uerbum Dei,
ita eciam bonum Sussanne
in castitate coniugali laudamus,
sed bonum uidue Anne
et magis Marie uirginis anteponimus.

Augustinus de bono coniugali.

Unde Augustinus dicit, in libro *de Bono Coniug.*:
*Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata
circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria*

audiens uerbum Dei;
ita etiam bonum Susannae
in castitate coniugali laudamus,
sed bonum uiduae Annae,
et magis Mariae Virginis, anteponimus.

Thomas de Aquino, *Summae theologiae, Secunda
secundae*, 153.2.resp.1 (P. Caramello ed., p.661).

sicut ergo bonum erat, quod Martha faciebat occupata
circa ministerium sanctorum, sed melius, quod Maria
soror eius sedens ad pedes domini et
audiens uerbum eius:
ita bonum Susannae
in coniugali castitate laudamus,
sed tamen ei bonum uiduae Annae
ac multo magis Mariae uirginis anteponimus.

Augustinus Hipponensis, *De bono coniugali*, 8.8
(CSEL 41, J. Zycha ed., p.199, ll.6-11).